

Individuationis ponitur *Entitas tota* (1), aut non tota. Non totam aut *negatio* exprimit (2), aut aliquid positivum. Positivum hoc aut pars physica est essentiam terminans, *Existentia* (3); aut Metaphysica speciem terminans, *Hæc etas* (4.)

¶. 4. Prima opinio, quoniam & à gravissimis viris defenditur, & difficultates omnes tollit, à nobis quoque recipietur, cuius confirmatio velut generale argumentum contra reliquias suppedabit. Pono igitur: omne individuum suâ totâ Entitate individuatur. Et tenet Petrus *Aureolus* apud Joh. *Capreolum*, qui cum nondum editum diligenter confutavit, 2. sent. d. 3. q. 2. *Herveq; quod lib. 3. q. 9.* Dicitq; *Sonicinas*, quod hæc opinio sit Terministarum seu Nominalium, 7. *Met. q. 31.* Et tenent sane *Gregor. Ariminensis*, 1. sent. d. 17. q. 4. *Gabriel Biel* in 2. sent. d. 3. q. 1. Quos adducit recentior Nominalis *Schautheet* l. 2. *Contr. s. artic. 1.* Tenet item *Durandus* 2. d. 3. q. 2. citantibus sic plerisque, quamvis ut notat *Murcia* disp. 7. in l. 1. *Physic. Ar. q. 1.* citari soleat pro solâ formâ, cum tamen n. 15. expressè hanc materiam & hanc formam afferat. Male autem *Ramoneda* eos qui dicunt individuum seipsum individuare, & qui dicunt Materiam & Formam id præstare divellit ut sibi contradicentes, cum sint potius subordinati ut speciales generalibus. Quid enim est materia & forma unitæ, nisi tota Entitas composita? Adde quod nos hic abstrahimus à corporibus & angelis, potius igitur termino totius Entitatis quam materiæ & formæ utimur. Idem igitur tenet *Fr. Murcia* l. c. *Fr. Suarez* disp. *Met. 5.* *Zimara* apud *Mercenar.* disp. de *P. I. P. l. c. 9.* *Perer.* l. 6. c. 12. Ac nuperrimè *Pl. Reverend. Calov. Met. Part. Spec. tr. r. art. 1. c. 3. n. 2.* & *B. Stahl. Comp. Met. c. 35.*

¶. 5. Argumenta pro hæc sententiâ hæc ferè sunt. 1. Per quod quid est, per id unum numero est. Sed res quælibet persuam Entitatem est. E. Major probatur, quia unum supra Ens nihil addit reale. Usi sunt hoc argumento omnes hujus sententiæ defensores. Respondet *Bassolius Scotista* negando majorem: Ac dicit naturam seu Entitatem rei differre formaliter non realiter. Et sic limitat: Per quod quid est per idem realiter unum numero est, & sic conceditur: si per idem formaliter negatur. Et ad probationem dicere potest quod unum aliquid supra Ens addat formaliter diversum. Sed hæc profligabuntur infra in refutatione Scoti.